audaciùs malè cauto elapsum fuerit, quoso vos obtestorque
cogitate id imprudenti · accidisse, nunc tandem ut ad rem ve-
niamus, animadverto Adversarii Orationem in duas divisam esse partes,
quarum altera absurda quidem, utpote de rubrorum laudibus, alte-
ra longè audacissima, quia inusitata licentia in nigros nescio
quo Claudiana fulmina vibravit. Hos itaque defendendos exi-
stimavi, alteros impugnandos, ordine quo Adversarii, id est al-
ternatim, et imprimis quocunque oculos converto nusquam reperire possum
iconem aliquam, quam rubro colore pictorum penicilli delinearint,
Si enim placet Apellis cuiusdam officinam ingrediamur, hic diligenter
exquiramus si Paridem quendam aut Adonydem rufo capillo inveniamus,
imò nec Paridem, nec Adonidem, sed aliquos ex eo numero Virorum,
in quorum specie artifices pictorum penicilli desudarunt: Ubi rufi?
ubi rubri? prodeant, ubi sunt? utamur perspicillis, forté tan-
to artificio tantaque subtilitate sunt, ut oculos intuentium
fallant, quàm primum ergò vestrum aliquis rubrum invenerit,
clamet: hic est, imprimis Vobis pulcherrimam Mulierem offero
intuemini, quàm tenuibus lineamentis effigiata, quàm sit
omnibus numeris absolutissima, in hac omnes suas divitias pictura
explicavit: inspiciamus propius colorem: Nescio quis fulgor, quam-
quam ex pictis oculorum facibus obtutus nostros perstringit, quò
minus eas divini aspectus colores intueri possimus: interrogemus
ergo illam: Quae est ista pulchra ut Luna, electa ut Sol? attendite
diligenter, quid respondeat, audite quid dicat: Nigra sum: Hic
reclamatis: Erravit pictor, si nigram pinxit; erravit pictor? ergo
an ideo errarunt Author testamenti veteris? Nicephorus? Epipha-
nius? Sed erraverint istorum pennae, at profecto penicillus non erravit
Lucae Evangelistae, testis oculati, qui Augustissimae Virgi-
nis